



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

319. An Moniales admittentes aliquem intra septa Monasteri, & prætextu
licentiarum incurrant excommunicationem? Et an pœnæ impositæ in Bulla
Greg. XIII. imponantur tantum Abbatissis, & Abbatibus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

periose, ac Visitatoribus, respectu Monialium subiectarum, necnon Confessario tam ordinario, quam extraordinario, licere absque licentia expressa eiusdem Sacrae Congregationis accedere ad Monasteria quarumcumque Monialium ad colloquendum, siue tractandum cum eis; siquidem Sacra Congregatio per hoc non excludit casum pietatis, & charitatis, qui regulariter non praesumitur comprehensus sub generali prohibitione, iuxta regulam; *Non veniunt sub generali prohibitione, qua quis non esset verosimiliter prohibetur, si in specie exprimerentur*, sed solum excludit casum, in quo Religiosus velit accedere ad Moniale titulo vrbanitatis, ad eas visitandas, v. g. ad negotia secularia tractanda & similia.] Huicque Pellizzarius.

2. Et hanc sententiam etiam, me citato, tenet Bordonus in *consl. Regul. tom. 1. refol. 7. n. 82.* sic asserens: [Colloquens cum Monialibus, causa vrbanitatis, aliqua verba, vel pro aliquo negotio honesto, vel indifferenti, & raro, non dedit opera, non peccat mortaliter: quia huiusmodi loquutiones de se malae non sunt neque tales fiunt mortiferae ex prohibitione Decreti: quia hoc fundatur in praesumptione scandalii illis verbis: *Ad occurrendum scandalis, qua contingere solent.* Hinc colligitur intelligentia responsionis Sacrae Congregationis data 1. Iulij, 1606. Regulares accedentes ad Monasteria Monialium contra hoc Decretum, vltra poenas priuationis officiorum, & vocis actiuae, & passivae, incurrere etiam poenam peccati mortalis. Dicunt enim Doctores ex ea responsione, accedentes ad monasteria Monialium peccare mortaliter: excipiunt tamen tres casus, loquutionem causa vrbanitatis, instructionem in aliquo casu conscientiae, & loquutionem per interpositam personam: vnde videntur nobiscum sentire, loquutionem, praesertim de rebus inhonestis, inducere peccatum mortale; sicut & quando alloquuntur de indifferentibus saepe, & multoties: quia id est potius spernere praecipua maiorum, maxime in his, in quibus omnino abstinendum est a similibus loquutionibus, etiam honestis.] Ita Bordonus: cui adde etiam, me citato, Lezanam in *Summa, tom. 3. verb. Moniales, n. 20.*

3. Sed ego (vt legitibus patet) in *3. par. tract. 2. refol. 104.* tantum refero sententiam Peyrini; meam autem non promo. Verum, licet speculatiue loquendo, eius sententia, & supradictorum Authorum tanquam probabilis admitti possit; tamen puto, non esse in praxim deducendam: nam Pontifex, & Sacra Congregatio absolute prohibent accedere ad Monasteria Monialium ad colloquendum, & tractandum cum eis, nec distinguunt inter colloquutionem, & tractatum causa vrbanitatis, vel pietatis, & vbi lex absolute loquitur, absolute est intelligenda; & vbi non distinguit, nec nos distinguere debemus. Et si aliter diceremus, elusoria remaneret prohibitio Sacrae Congregationis: nam impunè possent Regulares semper colloqui cum Monialibus, asserendo, se colloquutos fuisse cum eis causa pietatis, & declarando eis quandam casum conscientiae. Vnde quicquid sit de peccato, quoad forum internum, stante autoritate Doctorum virorum, Lezanæ, Pellizzarii, & Bordoni, vbi supra, saltem in foro externo possent Episcopi dictos Regulares punire, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati; vnde se abstineant ab his colloquutionibus.

RESOL. CCCXIX.

An Moniales admittentes aliquem intra septa Monasterij, praetextu licentiarum incurrant excommunicationem? Et an poena imposita in Bulla Greg. VII. imponatur tantum Abbatibus, & Abbatibus Conuentualibus, & non Monialibus? Ex p. 2. tr. 16. & Misc. 2. Ref. 3. i. alias 33.

§. 1. Incurrere existimant multi, & ita nocissime docuit Filliuc *tom. 1. tract. 15. c. 5. n. 119.* asserens, sic habere praxim sacrae poenitentiae.

2. Sed negantem sententiam (quam etiam probabilè & tutam in praxi esse iudico) sustinent Rodriquez in *99. regul. tom. 1. q. 47. art. 3.* & post illum Sanchez in *sum. tom. 2. lib. 6. c. 16. n. 84.* quibus ego addo Mirandum in *man. prael. tr. de monial. q. 2. art. 12. concl. 3.* & Barboza de *poes. Episc. p. 3. alleg. 102. n. 32.* Ratio est, quia poenae appositae in dicta Bulla imponuntur Abbatibus & Abbatibus Conuentualibus. & c. Et ibi nulla de Monialibus efficitur mentio. Et tamen in dicto motu proprio volens Sum. Pontifex comprehendere sub poenis, quae cumque Moniales admittentes illos, qui ingrediuntur Monasteria cum licentia Episcopi, in casibus non necessariis totum hoc expressit, dicens *indefinite Moniales.* Ergo si idem voluisset supra in aliis poenis, hoc expressisset, sicut postea, vt diximus, expressit.

RESOL. CCCXX.

An Moniales admittentes aliquem intra septa Monasterij etiam ad malum finem, incurrant aliquam excommunicationem, videlicet Concilij Tridentini, sess. 25. c. 5. de Regulari. Et an scribens literas Moniali, & mittens incidat in censuram aduersus colloquentes cum Monialibus? Ex p. 2. tr. 16. & Misc. 2. Ref. 3. i. alias 34.

§. 1. Supra diximus, non incurrere excommunicationem inflictam in Bulla Greg. XIII. sed dubium est, an incurrant in excommunicationem laicam in Conc. Trid. sess. 25. de reg. c. 5. Negatiue vero respondendum est, quia in textu Concilij excommunicationis fulminatur contra ingredientes Monialium Monasteria; de Monialibus, seu aliis admittentibus nullam facit mentionem, & vt supra probatum satis est, excommunicatione non extenditur de casu ad casum, etiam si similis ratio adsit. Et ita scribens literas Moniali & mittens, non incidit in censuram comminatum aduersus colloquentes cum Monialibus; vt probat Barboza de *poes. Episc. alleg. 102. n. 82.* & alij.

RESOL. CCCXXI.

An persona Illustres, qua obinent licentiam à Papa ingrediendi Monialium Monasteria aliquibus vicibus cum electis Marronis, possint illas postea curare si fuerint semel designata? Et an, qui habet licentiam ingrediendi aliqua Monasteria, (modo quo supra) possit differre ingressum ad diem illam, in qua forte Moniales illius Monasterij habiturae sunt spirituales representationem in Refectorio, aut alio loco publico? Et aliqua alia adducuntur, qua contingere possunt in rescripto Pontificis, & supplicatione oratrici circa praedictas licentias, & praxim in illis. Ex p. 1. c. 14. & Misc. 4. Ref. 3. i. alias 29.

§. 1. Tenor licentiarum ita ferè semper conceditur: Tibi quae, vt asseris, Venerabilis Fratris nostri N. Cardinalis N. nuncupati consanguinea existis, vt à tribus Matronis, modesto, ac decenti habitu indutis, quas semel electas nec variare, nec mutare possis, nisi alicuius earum obitu eueniente associata, & super veritate narratorum cognitione per Ordinarium loci adhibita Sancti N. ac Sanctae N. & Sancti N. Monialium Monasteria Ciuitatis N. tribus vicibus in totum, non autem eorum singula quolibet anno de eorumdem Monialium capitulariter, & per secretum suffragia praestando, & illarum Superiorum consensu.